

Misc. 6^m.

cat. 1, 63.



24

24

Q. D. B. V
DE
MAGNO. PANE. MORTVO
EX. PLVTARCHI. LIBRO
DE. ORACVLOR. DEFECTV.
DISSERIT
ET
LECTIONES SACRAS
HEBDOMADE. VT DICITVR. MAGNA
EXTRA. ORDINEM
INSTITVENDAS
ALVMNIS. ELECTORALIBVS
INDICAT
M. FRIDERIC. GOTTHILF. FREYTAG

NVMBV RGI

Typis BALTHASARIS BOSSOEGELII, Priv. Typogr.

Q. D. B. V.
 DE
 MAGNO. P. ANE. MORTVO
 EX. P. V. T. A. R. C. H. I. L. L. I. B. R. O.
 DE. O. R. A. C. I. O. R. D. I. R. E. C. T. V.
 D. I. S. S. E. R. T.

ET
 L. E. C. T. I. O. N. E. S. S. A. C. R. A. S.
 H. E. B. D. O. M. A. D. E. V. D. I. G. I. T. V. M. A. G. N. A.
 E. X. T. R. A. O. R. D. I. N. E. M.
 I. N. S. T. I. T. U. E. N. D. A. S.
 A. L. U. M. N. I. S. R. E. C. T. O. R. A. L. I. B. V. S.

I. N. D. I. C. E.
 M. F. R. I. D. R. I. C. G. O. T. T. L. I. C. H. T. R. E. T. T. A. S.

I. N. M. A. G. N. A.
 T. Y. P. O. G. R. A. F. I. C. A. S. E. C. O. S. S. E. C. I. T. A. T. I. O. N. E.





* * *
Quando quidem scriptores, quos pri-
sca tulit aetas, et profanos Christia-
ni vocant, nonnulla scriptis subin-
de prodiderunt, quibus caelestis
doctrina, ab immortali Numine lit-
teris promulgata, mirifice illustrari
potest; in re sane laudabili versantur, et operae pre-
tium faciunt, qui talia rerum monumenta studio-
se, diligenterque eruunt, et, qua ratione cum di-
uinis illa conspirent litteris, dilucide exponunt.
Ut autem omnes, qui in se suscipiunt eiusmodi mu-
nus, summa ope adniti decet, ut ne quid temere fa-
ciant, neque paullo longius arcessant, quae disiun-
cta, et plane diversa sunt a diuinorum scriptorum sen-
tentia; ita praesertim illi, qui, ex vetustatis memo-
ria, rebus, in sacro codice memoratis, non ni-
hil lucis adfundere cupiunt, pro eo ac par est, suas
constituere debent rationes, ut certum internoscant
a dubio, et, relictis falsis fallacibusque narratiuncu-
lis, veritatem vnice consectentur. Quo studio id
obseruent scriptores, qui Seruatoris Opt. Max. e
vita discessum, Thamo cuidam Aegyptio nuncia-
tum, existimant, luculenter declarare poterit fabula,
quam e Plutarchi libro (a) repetunt, et Tiberii im-
peratoris aetate, multorum inualuisse sermonibus,

)(2

com-

(a) De Oraculor. defectu T. II. Opp. p. 419.

commemorant. Ita enim Plutarchus in scenam
 producit hominem, nomine Philippum, qui cum
 amicis de daemonum interitu disputat, et, praece-
 ptorem se habuisse, ait, Aemilianum rhetorem, cui
 pater Epitherfes, artis grammaticae magister, fue-
 rat. Ille Epitherfes, quemadmodum Aemilianus
 id se a patre narratione accepisse, iactitat, naue ali-
 quando vectus in Italiam, die in vesperam inclina-
 to, ad insulas Echinadas peruenit, cum venti subito
 conciderent, et naus quasi in vndis fluitans, haud
 longe a Paxis detineretur. Illo tempore, cum pluri-
 mi vigilarent, et, finita coena, biberent, vox ex ea
 insula fuit audita, quae Thamum, gubernatorem
 naus Aegyptium, multis vectoribus nomine igno-
 tum, adpellauit, et facto responso, praecepit: *ὁπέ-
 ταν γένη κατὰ τὸ Παλῶδες ἀπαύγγελον, ὅτι Πᾶν ὁ μέγας τέθνηκεν,*
quum ad Palodes veneris, nuncia, magnum Pana
esse mortuum. Thamus, rerum quid ageret, incer-
 tus, oraculi veritatem ita experiri statuit, vt, si ven-
 tus spirare coepisset, silentio praeternauidandum
 esse Palodes, censeret, sin autem Neptunus, vt En-
 nii (b) vtar verbis, vndis asperis pausam daret, ob-
 temperandum iis arbitraretur, quae vox incognita,
 et humana maior, ad Paxos monuerat. Igitur ad Pa-
 lodes delatus, cum maximam mari incumbere tran-
 quillitatem animadverteret, in terram e puppi pro-
 spi-

(b) in fragment. p. m. 166.



spiciens, magnum Pana mortuum esse, proclamauit, quo facto, ingens multorum gemitus, eiulatusque in aere redditus, omnium animos admiratione complevit. Et cum rei tam insolitae fama ad aures peruenisset Tiberii, imperatoris, ille non solum ad se arcessiuit Thamum, vt prodigii veritatem ab eo intelligeret, sed doctis etiam hominibus negotium dedit, vt quis Panis illius magni nomine haberetur, accurate explorarent. Atque isthanc fabulam permulti ita amplexi sunt, et acceperunt, vt magni Panis nomine IESUM CHRISTUM, caeli terraeque dominatorem, Thamo fuisse significatum, contenderent, et daemonas plorandi lamentandique habuisse materiam, existimarent, quod, obitum nostri Seruatoris magnae sibi fore calamitati, sentiebant. Vt Baronium, (c) qui perobscure huic sententiae fauet, silentio praeteream, Gerhardus Io. Vosius (d) palam ei adstipulatur, et cum doctissimo Abrincensium praesule, Petro Dan. Hue- tio (e) Natalis Alexander (f) disertis profiteri ver- bis haud dubitat: *ethnics stupendo miraculo, Christi*

(3

IE-

(c) T. I. Annal. Ecclesiast. n. 129. ad ann. 134. qui versione, nescio qua, latina deceptus, Thamum perpetuo Thramnum vocat, et κατὰ τὸ παλάδες, iuxta paludem, interpretatur, cum tamen, vt Casaubonus iam adnotauit, Exercitat. XVI. ad Baron. annales, n. 94. p. 466. Palodes portus fuerit Romanorum, a coeno, Strabone, L. VII. p. 593. teste, πηλώδης, seu coenosus dictus. (d) L. II. Harmon. c. 9. (e) In demonstrat. Evangelic. Proposit. IX. c. 136. p. 931. (f) T. III. Hist. Eccles. c. 1. artic. 5. §. 6.

32
Iesu significata mors est, quod in libello, de desitis
oraculis, Plutarchus refert; et quum vterque Plu-
tarchi narrationem exposuisset: atqui id conuenit, in-
quiunt, in tempus mortis Iesu, qui verus Pan est,
rerum omnium parens, ac totius naturae auctor,
quam Panos symbolo mythologi signatam voluerunt.
Sed quo loco, numeroque fabula, a Plutarcho ad-
lata, haberi debeat, paucis, nisi fallor, verbis ex-
pediri, et declarari poterit. Initio enim Philip-
pus, qui Plutarchi forte personam sustinet, pro
veterum quorundam philosophorum opinione,
quam de interitu ac morte daemonum illi ani-
mo conceperant, acerrime propugnat, et omnia
proinde conquirat, quibus se fidem verbis facere
posse, arbitratur. Neque tamen ipse Philippus
auribus acceperat vocem, quae magni Panis mor-
tem Thamo denunciauerat, sed Aemiliani, prae-
ceptoris, auctoritate fretus, haec omnia narrat, qui
ab Epitherse, patre, illa habuerat comperta, homi-
ne, qui sociorum in naue auribus plus iusto fortas-
sis crediderat. Omnes vero, vt cum Plauto, (g)
verbis paullisper immutatis, loquar, pluris facere
solemus testem, qui ipse audiuit, quam auritos a-
lios decem, qui audita audiuerunt. Et quamquam
Plutarchus Aemilianum laudet, et ἀνδρα ἐν ἀφρονα, εἰδὲ ἀ-
λαζονα, *virum nec stultum, nec ostentatione Vanum*

no-

(g) In Truculent. II. VI. 8.

nominet, nemo tamen facile inuenietur, qui de pa-
 tre Epithersē, cui filius acceptam retulerat fabu-
 lam, id temere adfirmauerit. Thamus, qui pri-
 mas in fabula agit partes, nauta est, qui finita
 coena, cum amicis bibit, et, per vinum forte au-
 dita, aliorum auribus exposuit. Quid autem fidei
 nautis, (h) aurigis, aliisque huiuscemodi, de infi-
 ma plebe, hominibus tribuendum sit, suo experi-
 untur exemplo, qui, vt est in fabula, *cito credunt,*
et cito decipiuntur. Quod si vero quaelibet fabu-
 lae momenta sigillatim perlustrare, et adcurate ex-
 cutere voluerimus, ad omnia pro se quisque verba
 attendat animo, quibus se ipsa euertere, et prorsus
 conficere videtur. Nam praeco, qui magni Pa-
 nis mortem Thamo nunciat, vt vel ipse Plutarchus
 testatur, e numero daemonum fuit. Quis autem,
 eam daemonum vmquam, dixerit, rationem, vt,
 si quando arcana cum aliis daemonibus communi-

ca-
 (h) Equidem Ioannes Diaconus, cuius verba Io. Clericus ad Hesiodi
 Theogon. v. 233. adfert, nautas ab omni mendacii culpa liberat,
 et εἰσθεσαν, inquit, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, οἱ ἐν θαλάσῃ διαύγοντες,
 καὶ ναυτιλλόμενοι ἄνθρωποι ἀληθεῖς τε καὶ ἀψευδῆς εἶναι. ὁ γὰρ
 καθεύδοντες αὐτοῖς ἐλπιζόμενος θάνατος, ἀναπέθει νημερτεῖς τε, καὶ
 πρᾶξις εἶναι. καὶ μὴ θεμισέον, ἐπιλανθάνεσθαι μηδὲ δικαιοσύνης, μη-
 δὲ ἰσότητος, solent vt plurimum homines, qui in mari vitam agunt,
 et nauigant, veraces esse, et a mendacio immunes, mors enim, quam
 quotidie expectant, persuadet, vt sint veraces, et mites, nec licet illis
 obliuisci aut iustitiae aut acuitatis. Sed ita egregie de nautis qui-
 dem philosophatur Ioannes Diaconus, contraria tamen omnia in
 iis reperiri, quis est, qui nesciat?

care cupiunt, hominum vtantur ministerio, cum eiusmodi spiritus, vt natura sunt maxime volubili, multo facilius ipsi facere potuerint, quod Thamo heic in mandatis dedisse, memorantur. Cumque omnes, qui christianis addicti sumus sacris, non nisi duplex illorum Spirituum genus agnoscamus, vel beatis quibusdam geniis, vel malis ex Orco daemonibus, vocem, ad Paxos editam, tribuamus, necesse est. At illi summo honore sequuntur Seruatorem humani generis, et nomen deformis atque impuri Panis, qualis fuerat ille *ἀργόμων ἔφορος Δαίμων*, (2) ei imponere, sibi ducunt religioni; isti autem, qui mortem Seruatoris iam cognitam habebant, carere poterant Thamo nuncio, et voluptatem potius, quam dolorem, ex Seruatoris morte capiebant, cum votise cernerent compotes, et Seruatorem in crucem actum, intelligerent. Praeterea, vt rem Plutarchus exponit, Tiberius Caesar, tempore, quo acciderat prodigium, Romae fuit, et, insolitae rei fama commotus, Thamum ad se vocari iussit,

vt

(2) Alciphron. L. I. Ep. 26. Copia, et diuersitate eorum, quae mythologi de Pane adferunt, impediatur, quo minus heic illius historiam recenseam. Ut *Διέφορα* autem *bicornem*, *ἀργόμων*, ore *caprino*, et valde lasciuum, omnes depingunt. Oris, vultusque habitum eius, satis graphice descriptum, vide in Sil. Ital. L. XIII. de Bell. Punic. v. 326. et apud Phurnutum, de Nat. Deor. c. 27. qui omnia Panis membra delineat, et vniuersam rerum naturam iis adumbrari, putat, in qua sententia Orphicos fuisse, legimus, in Hymn. in Pana, qui Orpheo tribuitur. p. 109. edit. Eschenbach.



vt rei veritatem ex illo cognosceret. Quidenim aliud Plutarchi verba indicant? ταχὺ τὸν λόγον Ρώμῃ σκεδασθῆναι καὶ τὸν Θαμῶν γενέσθαι μεταπεμπτὸν ὑπὸ Τιβερίου Καίσαρος, *statim rei famam Romae fuisse disseminatam, et Thamum a Tiberio arcessitum*. Sed, vt recte Sam. Basnagius (k) calculum ponit, Tiberius A.V.C.DCCLXXVIII. Lentulo Getulio, et Caluisio Sabinio, COSS. quem ad modum Tacitus (l) auctor est, in insulam Capreas se abdiderat, neque, vt ex Dione (m) discimus, inde vniquam Romam rediit. Quocirca, rationem ego exputare nequeo, qua factum, vt Tiberius, Roma absens, de prodigio edoceri a Thamo potuerit. Neque sollicita magni Panis inquisitio cum ingenio Tiberii congruit, quem *circa deos et religiones negligentiosem* Suetonius (n) describit, et quamquam is, cum Dione et Tacito, Tiberii vitam, et res ab eo gestas, diligentissime exponit, ne verbo tamen, haud secus atque alii historiae Romanae scriptores, prodigii facit mentionem. Nemo autem Eusebii (o) auctoritate moueatur, vt, in tam magno reliquorum scriptorum silentio, fabulam suo dignetur suffragio, quoniam auctor ille grauissimus, rem quidem iis-

() ()

dem

(k) Tom. I. Annal. Eccles. §. CXXIV. p. 401.

(l) L. IV. Annal. c. 13.

(m) L. LVIII. p. 620.

(n) in vit. Tiber. c. 69.

(o) L. V. Praeparat. Euangelic. c. 14.

dem cum Plutarcho verbis refert, considerate tamen agit, et praeter daemonum interitum, et silentium oraculorum, nihil quidquam, quod ad Seruatorem pertineat, inde elicit, et deriuat. Euentus tandem, qui respondere prodigio debuit, si verum fateri voluerimus, plane nullus fuit, si quidem viri, quos philologos Plutarchus vocat, Tiberio de Pane quaerenti, Pana eum fuisse, responderunt, qui ex Mercurio et Penelope fuerit natus, atque imperatorem, hac ratione, in mentis superstitione confirmauerunt. Non tamen caussa e longinquo petenda est, qua complures in eam adducti fuerunt sententiam, vt, quae de magno Pane Plutarchus narrauerat, ad IESVM Seruatorem transferrent, eumque Panis occultum nomine, arbitrarentur. Illud nimirum magni Panis nomen, quod e graeca lingua ducere originem, credebant, pulcre adumbrare iis videbatur diuinam Seruatoris maiestatem, cum infinita potentia coniunctam, et viam quasi aperiebat, qua, facili negotio, reliqua de morte Panis momenta, cum Seruatoris obitu conferri poterant. Verum enim vero, turpiter labi et opinione decipi videntur, qui, Panis nomen ori-

ri-

rigine graecum esse, dicunt, et Samuel. Bochar-
to (p) refragantur, quando is, *Pan unus*, in-
quit, *e Bacchi ducibus, ideo terrores Panicos cre-*
datur immittere, quia totidem litteris פן Pan he-
braice is dicitur, qui attonitus stupet. Sed tem-
pus admonet, vt, relicta Plutarchi fabula, ad ea,
quae ad scribendum impulere animum, nunc
deueniam. Ita, videlicet, sapienti maiores no-
stri instituerunt consilio, vt hebdomade, quam
ob maximum diuini amoris miraculum, non
immerito magnam dixere veteres Christiani, in-
ter pias exigeremus meditationes, et passionem
in primis et mortem IESV CHRISTI, gratissi-
mo animo, recoleremus. Qua de causa, vt
ego cogitarem, et dicerem, quae cum tempo-
re conuenirent, et pias in omnium animis co-
gitationes producerent, *illustrissima miracula,*
quae

(p) P. II. Geograph. Sacr. L. I, c. 18. פן enim Benoni est ver-
bi פנין, cuius futurum Psalm: LXXXVIII. 16. occurrit:
פנין אפונה *portauit terrores tuos, ita ut obstupe-*
scam. Equidem, Deum a Siracide. c. XLIII. 27. τὸ πᾶν
adpellari, non ignoro, magnum tamen inter τὸ πᾶν et τὸν
Πᾶν esse discrimen, ex iis, quae dixi, fati elucet.

quae tempore passionis IESV CHRISTI ac-
 ciderunt, e sacro codice enumerare, et, qua
 ratione, illa a viris, fallere nesciis, et sanctis-
 simo spiritu agitatis, litteris consignata, et ad
 posteros propagata fuerint, exponere, animo
 constitutum habeo. Vestri erit muneris, *Alu-
 mni Electorales, carissimi discipuli*, vt aures ani-
 mosque mihi dicenti, promptissime aduertatis,
 et Ignatiani symboli memores, τὸν ἕρωτα ἡμῶν εὐεργε-
 θεύτα, omni mentis religione, mecum colatis, et
 obseruetis. Scrib. in prouinc. Schola
 Portensi. X. Kal. Aprit.

CICIDCCXXV.



Th: 780

ULB Halle

3

002 500 698



Sb.


KD17

D

w. C.







24

Q. D. B. V
DE
MAGNO. PANE. MORTVO
EX. PLVTARCHI. LIBRO
DE. ORACVLOR. DEFECTV.
DISSERIT
ET
LECTIONES SACRAS
HEBDOMADE. VT DICITVR. MAGNA
EXTRA. ORDINEM
INSTITVENDAS
ALVMNIS. ELECTORALIBVS
INDICAT
M. FRIDERIC. GOTTHILF. FREYTAG

NVMBV RGI
Typis BALTHASARIS BOSSOEGELII, Priv. Typogr.

